

in honorem D. Petri Apostolorum Principis dedicato, (2) in quo verius Episcopus Bodo precare videtur concedere dignaremur Ecclesiam S. Vigili (3) cum omnibus suis appendiciis, quæ Ecclesia sita esse videtur in villa nostra Urbe (4) cum decimis dominicatis (5) quæ in eadem Ecclesia consuetudine antiqua conferri sunt solita, cujus dignam petitionem rectam æstimantes ob amorem Dei animæque nostræ remedio jam dictam Ecclesiam S. Vigili cum omnibus pertinentiis, & adjacentiis suis, seu familiis utriusque sexus ad eam spectantibus, vel pertinentibus per hoc nostræ auctoritatis præceptum jam dicto B. Petro in prælibato Aquensi Episcopatu concedimus & condonamus, & de nostro jure in ejus jus & dominium in perpetuo transfundimus, & cedimus. Præcipiendo ergo jubemus, ut nullus minister publicus seu magna, parva que quælibet persona jam dictum Episcopatum, deque præfata Ecclesia, seu de rebus & familiis suis, seu decimis inquietare, aut molestare deinceps præsumant, sed liceat prænominatam Ecclesiam prædicto Episcopo in perpetuum possidere. Siquis autem contra hoc nostræ auctoritatis præceptum aliquod infringere tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Camerae palatii nostri, & medietatem suprædicto Episcopo, suisque Pontificibus: quod ut verius credatur, & ab omnibus diligenter observetur manu propria roborantes, & bullam (7) nostram in signum jussimus apponi.

Signum (8) Domini Widonis Serenissimi Augusti.

Ego in Dei nomine Morantius Præbiter, & Cancellarius ad vicem Helbungi (9) Archicancellarii recognovi. Data pridie id. maj. an. Incarn. Dom. DCCC XC (10) anno primo imperii D. Widonis serenissimi Imperatoris Augusti. Actum Papiæ (11) In Dei nomine feliciter amen.

(1) Iste est ille Manfredus Comes palatii, & Marchio, qui a Rege Arnulfo ab Abdua cis Padum harum omnium regionum Præfectura donatus fuit, ac ob crimen perduellionis a Lamberto Widonis filio capite damnatus, interiit an. 896. Vide Murat. & Julinus ad an. 892. & 896. M. Lupus in Cod. Bergomeni col. 1055.

(2) Vetusissimus est in hac Diœcesi cultus erga D. Petrum. Huic dicata erat vetus Cathedralis, quæ olim ut cætera in Lombardia extra civitatem, nunc intra eam posita est.

(3) Fuit hic Episcopus Tridentinus, qui cum reliquias idololatriæ penitus extirpare conaretur a feris, & barbaris hominibus lapidum imbri percussus pro Christi nomine martirium implevit circa an. 400. Hujus memoria ut ego puto, magno olim in honore habita apud Bergomates, qui in proximum montem, ob Ecclesiam sub ejus titulo ibi constitutam, S. Vigili montem nuncuparunt, ut videre est apud M. Lupum. Ex hac autem charta patet apud Aquenses quoque cultum obtinuisse, eumque fortasse ob felicem operam in extinguenda hisce regionibus idololatria navatam ab aliquo antistite antiquis temporibus inductum.

(4) Nunc Rocca Grimalda.

(5) Dominicatus, census, qui a Domino exigitur, Laurentius in Amalthea. (6) Bulla sigillum Laur.

(7) Manogramma idem ac vulgatum a Murator. in diplom. hujus imperatoris.

(8) Numquid idem ac Helburgus Parmensis Episcopus, cujus meminit placitum Amedei an. 897. apud Murat. diff. X., & Ughelli in Episcopis illius civitatis?

(9) In exemplari hujus diplom. inserto in alio ampliore Carol. IV., & Maximiliani Imperatorum, licet anni numeratio eadem sit, ac illa hujus apographi; attamen ibi additur indictio nona, quæ hic fuit prætermissa; ex qua intelligimus hoc diploma spectare ad annum DCCCXCI., eo magis, quia ut ex chartis archivii Lucensis evidentissime probavit Murat. diff. 3. & 34. Ant. Ital., & ex diplom. a M. Lupo Bergom. Ecclesie Codice an. 1784. edito constat, solum anno DCCCXCI. mense februario Wido Imperator Augustus fuit renunciatus, quæ duo amanuensium nostrorum oscitantiam arguunt, ac evincunt addendam hic esse unitatem ab ipsis imperite prætermisam, ac legendum A. I. D. DCCCXCI.

(10) Locus notatione dignus. Huc enim Episcopus Aquensis gratulabundus Imperatori ob imperialis coronæ assecutionem accessit, prout in more positum; nisi quis malit dicere Bodonem Widoni Romam petenti comitem itineri fuisse, ac Papiam cum Imperatore regressum ab hoc, quem sibi officii causa devinerat, præsens diploma impetrasse.

Diploma Berengarii Imperatoris Gariperto Episcopo Novariensi concedentis annuales, & hebdomadarios mercatus in quibusdam terris.

Ex archivio Episcopali Novar.

DCCCXCVII.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis Berengarius divina favente clementia Imperator Augustus. Imperialem excellentiam semper decet, & fidelium suorum vota pio affectu audire, & ea, si juste apparuerint, competenti decencia adimplere. Ideoque omnibus sanctæ Dei Ecclesie fidelibus nostrisque præsentibus, ac futuris notum esse volumus, qualiter Grimaldus (1), & Odelricus (2) gloriosissimi Marchiones, & amabiles consiliarii nostri nostram suppliciter exoraverint mansuetudinem, quatenus paterna remuneratione per nostri præcepti paginam concedere dignaremur D. Gariperto Reverentissimo S. Novariensis Ecclesie Episcopo licentiam constituendi annuales mercationes, & . . . per septimum videlicet Chalendarum septembrium juxta quoddam (3) . . . ipsius Novariensis Episcopi, in quo beati Agabii Episcopi, & Christi confessoris (4) Corpus quondam tumulatum fuerat. (5) Simul quoque implorantes, ut eodem modo largiremur facultatem exequendi hebdomadalem mercatum, scilicet per omnem Sabbatum in quadam plebe, quæ dicitur . . . memorati Novariensis Episcopi, & annuale mercatum in Gaudiano nono Calend. novembrium, idest per omnem festivitatem Beatissimi Juliani Christi confessoris (6), cujus ossa in ipsa plebe (7) miraculis coruscare dignoscuntur. Quorum petitionibus libenter annuimus, hoc nostrum donativum scribi jubentes, per quod memorato D. Præsuli largimur, & in perpetuum donamus licentiam faciendi mercatum in suprædictis duobus locis secundum superius expositam petitionem Grimaldi & Odelrici, videlicet gloriosissimo-